Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

luntas attendit. ut ad finitima quoque
monasteria magisteriali lectionis pro-
vocatus penuria. cum consensu et consilio
conservorum fidelium. patris quoque monasterii
pervenirer. Cumque voto simul et mente om-
nipotentis sibi adesse incessanter magna
precum perseverancia suffragium postularet.
tandem divina celitus inspirante gracia
ad monasterium quod usque hodie dicitur
Mithsselle pervenit. et beate memorie Wig-
berti abbatis qui venerabiliter predictum sub
regulari disciplina regebat monasterium
spiritali litterarum diligencia provocatus
elegit magisterium. Fratrumque secum in domino
vivendum contubernium. ac sic servorum
dei iunctus consorcio. devotum domino deo ser-
vicium. et laboriosam vigiliarum instan-
ciam. lectionis quoque divine operam ingenti
meditacionis studio exhibuit. ita ut
maxima demum scripturarum erudicione
tam gramatice artis eloquencia. et metrorum
medullata facundie modulacione quam
eciam hystorie simplici exposicione. et
spiritalis tripertita intelligencie inter-
pretacione imbutus. dictandi pericia lau-
dabiliter fulsit. ut eciam aliis demum
patriarum extitit pedagogus tradicionum
et auctor magisterii. qui et discipulis ante
a subiectorum esse non recusavit. quia
sacre mos est conversacionis. ut preferre se
ceteris pertimescat. qui subici aliis renu-
erit. quia et recte obediencie operam
subiectis impendere non valebit. quam
superna prelatis dispensacionis iuste non
exhibebat. Vivant enim ita omnibus in com-
mune viventibus. et maxime suo sub re-
gulari. videlicet disciplina abbati.
monachus ita subditus obediencia pre-
bebat. ut labore manuum quotidiano.
et disciplinari officiorum amministracione
incessanter secundum prefinitam beati patris bene-
dicti recte institucionis formam insi-
steret. omnibus exemplum bene vivendi. in
verbo. in conversacione. in fide et castitate
se prebens. ut omnes de fructu eius perciperent.
et ex omnibus ipse mercedis eterne perciperet
porcionem. Sed et humilitatis quoque eius
et karitatis excellenciam. solus qui occultorum
cognitor est deus intima inspectionis
eius consideracione novit. qua omnes sibi
commilitones sollerti cura subiunxerunt.
ut ab eis timori pariter habebatur et amori.
et quem divina dilectione haberent so-
cium mutuo apostolice ammonicionis ho-
nore preveniret ut patrem. tantaque in eo
affabilitatis erga fratres. et celestis doctrine
succrevit magnitudo. ut rumore sancte
exhortacionis eius crebrescente fama eius
multis per monasteria tam virorum quam
eciam virginum et aptissime claruit. Quo-
rum quidem quamvis plurimi virili sexus
robore confortati. et lectionis instancia
incitati ad eum confluxere. et saluber-
rimum sciencie fonte potantes numerosa
scripturarum volumina recensuere. Quibus
ergo sexus infirmioris in continentia habitatis in-
erat. et assidua pergendi abnegabatur fa-
cultas. tante sibi sapiencie virum divini in-
flatu spiritus amoris presentari fecerunt.
paginarumque seriem susurrante celesti
instanter scrutinio inherere. et sacramen-
torum archana. misteriorumque abdita iu-
giter meditantes. Quem ita superna sub-
levavit gracia. ut iuxta egregius predicato-
ris exemplar. et gencium doctoris vocem
formam habens sanorum verborum in fide et
dilectione Ihesu Christi. sollicite curans se
ipsum probabilem exhibere deo operarium
inconfusibilem. recte tractantem verbum
veritatis.